Noverint universi quod ego Petrus Sancii de Sos(?) de Thesauraria domini Regis receptor sub
delegatus a dompno Martino Didaci d'Aux receptore reddituum et emolumentorum domini Regis
in regno Aragonum ac iurium proventuum et emolumentorum quorumcumque Curie domini Guberna-
toris Aragonum, habens potestatem a dicto dompno Martino Didaci receptore generali prefati
domini ad infrascripta, ut constat largius de dicta subdelegatione et aliis predictis mihi
notario infrascripto per instrumentum publicum actum in villa de Maella(?) die lune intitulata tercia
Februarii anni infrascripti per discretum Johannem de Fonellyas(?) habitatorem civitatis
Cesarauguste auctoritate regia notarium publicum per totam terram et dominacionem Illustrissi-
mi domini Regis Aragonum, in quoquidem instrumento continetur clausula subsequens: Ad petendum
exhigendum recipiendum et habendum iura proventus et emolumenta ante dicte Curie
dicti domini Gubernatoris. Et de receptis apocham vel apochas sive albarana faciendum
et concedendum. Quoquidem nomine predicto confiteor me recepisse a vobis venerabili
Bartholomeo Slanaja procuratore reverende domine priorisse et monialium monasterii
de Sixena omnes illos sexcentos florenos auri Aragonie pro quibus composuistis cum
dicto dompno Martino Didaci receptore predicto et vicetu presentibus multum honorabi-
libus et circumspectis viris domino Berengario de Bardaxino milite iusticia Aragonum dompno
Peregrino de Iaxa magistro racionali Curie domini Regis in Aragonia et dompno Dominico
de la Naja presbitero dicti domini Regis consiliariis racionibus contentis et expressatis
in remissione per multum honorabilem et circumspectum virum dompnum Johannem Ferdinandi
de Heredia militem domini Regis consiliarium ac Gubernatorem Regni Aragonum concessa
dicte domine priorisse et aliis in dicta remissione contentis que data fuit in loco
de [illegible] die mensis et anni infrascriptorum de quibus quidem sexcentis florenis
in dicta remissione fit mencio specialis. Et quia de dictis sexcentis florenis sum paccatus
et contentus renunciando omni excepcioni fraudis et doli non habite et non recepte pecunie
nomine predicto facio vobis fieri presentem apocham in testimonium et cautelam de ulterius non
petendo. Quod est actum in civitate Cesarauguste octava die mensis Novembris
anno a nativitate Domini Millesimo Quadringentesimo vicesimo primo. Presentibus
testibus ad premissa vocatis specialiter et assumptis Dominico de Gurrea vicino
Cesarauguste et Petro de Alagon portario domini Regis Aragonum.

Sig(+)num mei Petri Serrano notarii publici Civitatis
Cesarauguste qui predictis interfui eaque scripsi.

1147

A Clarión de ... ser

~~viure~~

Apocha de seysientos
florines pagados por el
procurador de la S.ra Prio
ra de Sixena al thes
rero del rey por una
Capitacion

265.